



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 1. Nomen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

§. 3. *De Liudiâ.*NUMERVS I. *Nomen.*

HELLADEM antiquam vno nomine vocari Liudiam vulgus Geographorum ait, hocque nomen putat ab vrbe Libadiâ, vel Lebadea recepisse. Nilominus à peritioribus inuenimus singula nomina assignata fuisse singulis regionibus; hocque nomen singulare esse, non commune.

NUM. 2. *Quantitas Liudiæ.*

Longitudo eius ducitur à sinu *de Larta* seu Ambracio ad Promont. Columnarum 4. graduum cum $\frac{1}{2}$ maioris circuli, hoc est 270. mil. pas. Geom. leucarum Fran. 135. Germanicarum 67 $\frac{1}{2}$.

Latitudo desumitur ab Hexamilo ad sinum *del Ziton*, duorum tantum graduum, ideoque 120. mil. pas. leucarum Franc. 60. German. 30.

NUM. 3. *Qualitas Liudiæ.*

VBIOVE feracissima est, sed maximè ad mare, & in Ducatu Atheniensi, qui oleis totus confitus est, vnde oleum Constantino-polim defertur, vulgò nunc à Græcis dictum *Ladiphi*. Herbis quoque odoriferis regio aspersa est, ideo hinc ferarum, & ouium bouumque carnes exquisiti sunt saporis. At pauci hinc cultores, vel Turcarum mancipia, vel præda piratarum.

NUM. 4. *Politia Liudiæ.*

REGIO ista sub Mahumeto II. anno Christi 1455. Turcis cecidit, quando Athenæ occupatæ, & huius vrbis Duces eiecti sunt. Pendet ex Saniaco Negropontino, seu Eubœensi: Turcæ in munitioribus locis degunt, Græci in agris, & vicis; nusquam alibi plures in Græciâ Sacerdotes. Hinc defauire solent in agris grassatores, in orâ maritimâ Piratæ, itaque hinc nihil tutum ab hostibus exteris, vel domesticis: quare solo cultura non respondet.